Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1704. 18 Octobris

Obrębski Jos: Bellaria mentium ex sapidissimis fructibus laboris, scientiae ac virtutis collecta et IX VV. DD. primae laureae Candidatis – oblata.

BELLARIA MENTIUM,

Ex Sapidissimis Fructibus Laboris, Scientiæ, ac Virtutis

COLLECTA,

ET

IX. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis,

dum

PER

Clarissimum & Excellentissimum Dominum,

D. M. MARTINVM ALEXANDRVM

KUROWSKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem,

IN AVGVSTALI D. IAGELLONIS

Artium LL. & Philosophiæ Baccalaurei,

In Frequentissima Illustrium Hospitum Corona

ritu Solenni renuntiarentur,

PER

Fr. IOSEPHVM OBRĘBSKI,

Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani Conventûs Miechoviensis Professum,

Ejusdem Laureæ Candidatum,

Ad resonantem fraterni affectûs & congratulationis Cytharam

OBLATA.


Anno, quo DEUS Unione superadmirabili Hypostasis humanam Naturam dignatus est,

1704. Die 18. Octobris.

CRACOVIÆ,

Ex Chalcographia Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Reverendiss. Dni Episcopi Cracov. Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduorscianarum Ordinarij Typographi.

In Stemma GEMINÆ CRVCIS Canonicorum Regularium SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani.



I.

UNa Polo veniens de terris altera binæ
 Suntque Cruces medio, sed tamen una micat.
Sanguine namque DEI patientis splendida, Vestris
 Æquè pectoribus lumine clara nitet.
Altera si fixum Numen Vos altera fixos
 Fert in amore DEI, unaque amore DEO.

II.

Recludit fulgentem Cœli Purpura Solem,
 Crux lumen vitæ murice tincta DEI.
Hâc dum PETRE rubes, sacrum Nomenque tueris,
 David clave tuis aurea sæcla aperis.

JOANNES RUSIECKI, Eloquentiæ Auditor

PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. PETRO BOROVIO,

Sacræ Theologiæ Doctori,

Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani per Minorem Poloniam

PROVINCIALI,

PRÆPOSITO S. HEDVIGIS Stradomiæ ad Pontem Regium, *Domino ac Benefactori Amplissimo.*

Cum sævus Mavors, cruenta inter sanguinis Orbe Europæo diluvia, Tantaleam fabulam aureis Regnorum pomis ludere videtur, & bellis, minimè bellis, vitam nostram saturare. Lecta Iagiellonicæ de arboribus Pomonæ autumnales inter ferias eo Tibi dedicatum Bellaria mentium, Perillustris, & Admodùm Reverende Domine. *Visum est, cum ejusmodi fructibus non ad alium quempiam recurrere, nisi qui & æstimare possit præ aureis Vitellij panibus eruditæ mentis delicias, & integram quasi famem adferret, sic favoribus, in eruditorum labores, abundantem, & si longè solidioribus, Sapientiæ refectus cibis, quàm disputantium olim Philosopho-rum mentes, ad mensam Solis in sabulo positam. Quidni Tu mihi occurreris? cui hæc omnia largo munere Superûm obtigêre. Talis inquam, qualis es, qualis omnibus, etiam tersissimarum mentium papillis, solitus es apparere. Emicuit in Te tantorum bonorum capacitas, & ardor quidam divinus, quando ad Arborem æternæ Sapientiæ fructibus opulentam, ut approximares intimiùs, innatum omnibus illud, Tibi singulare sciendi simul ac benè agendi expleturus desiderium, Sacram Canonicorum Regularium SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani Religionem ingressus es. Vbi omnium corda in Tui amorem & exspectationem maximam cùm rapuisses, illius etiam aurei Tripodis in Senatu Polono ALBERTI KORYCINSKI, olim Archiepiscopi Leopoliensis, protunc Generalis S. Ordinis, cor Tibi Mecænatis Amplissimi possedisti. Vidit dotes ad magna Tecum natas Illud Sidus Illustrissimum, ac ideo beneficis gratiarum suarum radijs eò per lucidissimas semitas deducebat, ubi reluceres faustis ornatus decoribus. Quod isto duce non aggressus es arduum & confragosum iter, & superâsti? quæ documenta non dedisti laboris infracti, animiq; meliore Sole animati? Ad mamillam Regum, Divorum animorum Berecynthiam, Almam Academiam Cracoviensem perrexisti feliciter, cujus tandem lacte sic es enutritus, ut virtutem ac Scientiam in robur vitæ Tuæ converteris, indè regalis insignitus charactere Sacerdotij, par & præesse & prodesse alijs videri cœpisti & mereri. Sed tantus animo politissimo & virtutibus non debuisti in patrio Sarmatiæ solo ad Tuam crescere venireq; maturitatem, ne minus quid, & commune de Te fama posset prædicare. Roma, Caput Orbis, & Pantheon humanorum decorum petendum erat, ut nova capesseres, non quòd hîc eadem non haberes, sed, ut ille*

regnans humani generis, & animorum fulgor huc etiam per Te transfunderetur, per Te inquam, Romanâ Laureâ Theologici Honoris pulcherrimè redimitum, aureo nitore morum Ecclesiasticorum & rituum refulgentem Sacerdotem Magni DEI, Pastorem verum gregis Domini, & Domûs ejus grande ornamentum, vitæ intaminatæ cunctis absolutissimum exemplar. Quàm, visendus ipse Nomen Sacri Ordinis circumtulisti florentissimæ Ausoniæ coram Laureis! ut ultrò Tuam exambirent frontem eruditam circumcingere. Quàm altæ Sapientiæ jubar in crystallum puriorem Tui pectoris congregásti! ut clarum patuerit, non in Capitolio, vel supercilio tumentis animi, sed in capite bonæ mentis augustiùs eminere, quodcunque decus ingens est per seipsum. Redux ab extero Sole, complexibus Religionis Tuæ intimis exceptus, & medullis affectuum sincerissimorũ, quid non egisti par magnæ & Tuæ Virtuti? Quos honores in S. Ordine dignitate meritorum non extulisti? Testatur apex omnium, in quem sic Te evexerat alta apud omnes magni animi æstimatio, ac si per Te omnes insimul in summo constituti fuissent. & honor seipso altior evasurus, quem iteratis vicibus in humeros involantem suscipere debueras. Nec mirum. Nam adeò resplenduisti in eo, ut Vigilantia ipsa super muros Ierusalem stantium, & non cessantium nocte dieque annuntiare Laudem Domini Custodum, posita videretur; quia Custos totus oculus, Paternus in omnes amor, charitas perfecta, labor indefessus & sollicitudo, & omnium bonorum corona aurea cernebaris. Quas deindè non illustrâsti commendatas Tibi Ecclesias, verè Lucerna in candelabro Ecclesiæ posita? Testantur pretiosæ suppellectiles Tuis curis comparatæ ad ornatum sacrarum ædium & Altarium, adeò, ut sponsas de cœlo descendentes ornatas viro suo cum sacro oraculo dicere liceat. Illa Chelmensis in Sacra Religione suo auro & ornamentis, Miechoviensis quoque Domus & Basilica splendor & ædificia sibi restitutâ integritate dexteram Tuam loquuntur beneficam, & gloriam Tui Nominis eousque perorabunt, quousque invidos annos poterunt superare. Omnes verò erga Domum DEI, Religionem, populum fidelem amplissima prædicando merita, intelligunt, quàm pulchriùs speciosus præ filijs hominum in purissima animi Tui crystallo resideat. Verùm, ne Tuæ Virtuti, Sapientiæ, ac fulgentissimis meritis injurius videar, illa celebrare si velim, nec mente æquando, quæ seipsis micant splendidiùs: ut Sol in nube sua etiam clarior, quàm in limpidissimo aquæ elemento; nolo Tuæ cortinam fatigare modestiæ, sed eam venerari sufficit. Quod abundè me perfecisse gaudebo, si hæc Bellaria mentium, quæ Tuo Nomini & Honori dedicata volui, & me ipsum grato animo susceperis. Cui faustissimos & numerosos annos apprecor, ut sum

PERILLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDÆ DOMINATIONIS

humillimus Servus

IOSEPHVS OBRĘBSKI,
Conventûs Miechov. Professus,
Primæ Laureæ Candidatus.

FOECUNDÆ COELESTIBUS GRATIIS ARBORI,

Secùs decursus Aquarum viventium plantatæ,
Regnum Poloniæ & Academiam
Sanctæ Protectionis Vmbrâ tuenti,
Et Thaumaturgis fructibus reficienti;

B. IOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ Doctori & Professori,
Patri & Patriarchæ Beneficentissimo.

ARbor ô Divûm veneranda! doctæ
Turba quam florens, Heliconis umbræ,
Et Sacrum Lauri nemus & Dearum
Serta coronant.
Verticem Sancti super astra montis
Efferas quamvis, teneas & alto
Numinis Magni Charis ô beata!
Corde receptum.
Es simul latis spatiosa ramis
Regna per, multos populos, ut omnes
Brachijs Sancti religes amoris,
Dulcèque serves.
Non minùs suaves pretiosa fructus
Exhibes, nostros satiando gustus,
His famem sedat melior supremæ
Gratia Dextræ.
Namque vicinis animata rivis
Fontis æterni, superas Beatæ
Gloriam Sylvæ, decus omne palmæ,
Dive IOANNES.
Laurus à ventis, licèt inquietus
Hinc & hinc vulsas agat Auster ornos,
Æolus quamvis fremat insolenti
Carcere missus,

Tuta, ſecura eſtque Tuis ſub umbris,
Vernat, æſtus nec Liparæ timere
Novit exurens Iovis & rubentis
Fulmen ab aure.
Fronde ſub Sancta poſitus vireſcit
Æger, ac flores rutilant bonorum
Indigo, miros alimenta ſuccos
Carpimus omnes.
Hinc vigor mentis, tolerans laboris
Pectus, in ſanctos rapitur decores,
Hinc ſuper Divæ Sapientiæ, cum
Nectare Sæcli.
Arboris Divæ memores in ævum
Occinunt Phœbi Cytharæque cordis
Gratias vivas, reſonant & auræ
Dulcia dona;
Et melos noſtrum Pater Alme, totum
In Tuos plauſus, ſolitos honores,
Vocibus Muſæ, Charitesque certant,
Et pia vota.
Perge tutamen fieri Polonum,
Atque regnantes Aquilas, ab igne
Martis, & Troas miſeros tueri, &
Laurea Sacra.
Te colet Cedrus viridans honosque,
Te Pater Sancte radians in oſtro,
Gloriam dicet, Superi vireti
Nosque Patronum.
Et Patrem dulcem famulante plectro,
Laureis vincti recinemus & nunc
Vt ſacras primi ferimus laboris
Munus ad Aras.

Clarissimis & Excellentissimis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS,

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. CASIMIRO ZRZODLINSKI,

Philosophiæ Doct. & Profess. Collegæ Minori, Ecclesiæ S. ADALBERTI in Circulo Crac. PRÆPOSITO, ac intereà Philosophicæ Facultatis DECANO.

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MARTINO BIELECKI,

Collegæ Majori, Regio & Tylicianæ Eloquentiæ Professori, S. Th. Baccalaureo, ad S. ANNAM Scholastico.

Clarissimo, & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. PAULO CELEIOWICZ,

Phil: Doct & Prof. Collegæ Minori, Contubernij Iagellon. Seniori.

Debitæ venerationis & gratitudinis.

ODE EVCHARISTICA.

NI sola virtus præcipites vehi
Compescat annos, frenaque præpeti
Adducat ævo, nec protervis
Ire sinat vaga lustra pennis.

Laudes perennes quis benè fulgidis
Inscribat annis, quis meritum decus
Æternet, attollatque fama
Nomine digna Virûm sub astra.

Hæc quem beato lumine tingere
Dignata, felix; ille volucribus
Non damna novit unquam ab annis,
Sed celeres remoratus auras.

Illis ut æri marmoribus seu
Notanda vivæ scribere gloriæ
Cunctis legenda quæ refulgent
In meritis animoque divo.

Proindè *Vestris munus adoreis*
Quid, & Supremæ Carmina concinam.
Quæ laudis? haud me cura tangit
Tempora quos celebrando dicent.

Pulchro recinctus ternio nomine,
Virtutis altæ, cum Sapientia
Mentis labore tersioris
Et meritum radio coruscans.
Dicent: Sophorum, pulcher honoribus
Dotes per amplas cum Sapientiæ
Est orsus explicare dulci
Ore simul nitidâque mente.
ZRZODLINSKI, *in omnes sparsa serenior*
Lux est, fugatæ sunt tenebræ rudes
E mentibus risitque Stòâ,
Iudicium tulit acre palmam.
Est visa plausus inter amabiles
Mens ipsa veri fulmina fundere,
Princeps Stagyræ lumen, atque
Dogma vetus radiare gratum.
Labore fido quàm benè gignitur.
Honor Serenus, Gloria Nobilis!
In Te relucet, & secundo
Purpura Te decorans fatetur.
Princeps Sophorum, mentis Ebur cui
Fœcunda donis gratia contulit
Te docta clarabunt per Orbem
Nomina, fama Tuos & annos
O! quàm per altæ culmina gloriæ
Vicinus astris nomine maximo
Volabit ingens & perennis
Ingenio calamo BIELECKI!
Medulla Suadæ, flos populi Sacri
Musis, DEI cùm pandit Oracula,
Aurum est Ducalium Mitrarum
Plinius & Dominûm Coronæ.
Dum fata flevit plurima Principum,
Dum busta Regum Sol lachrymis pluit,
Lætos vel ortus quando pinxit
In solio Iovis, ipse risit.
Non Cæsar ullum, non Macedo potens
Optaret ultrà condere Sæculis
Qui posset illos, cuncta regnat
Mente bona Dea Laurearum.
Quàm fama dulcis, vitaque Sæculi!
Quam Musa donat. Nec Tua serpere
Consuevit omnes CELEIOWICZ
Ore loquens recinens lepores

Virtus. Tibi nam dotibus inclitis
Et mens & aurum moribus emicat
Politè pulchris artibus
Nomen & ingenium sub astra
Tollunt, Sacras si scandis in exedras
Et mella tecum, splendor & igneus
Doctor, Cathedrâ seu refulges,
Lumina clara micant Lycæo.
Sic Vos in auro provehet essedo
Virtus, labores, facta perennibus
Fastis notabunt laureatis
Sidera nostra, Patres faventes.
Sed Musa præceps quò ruis? impetu
Vrges Apollo, grataque pectora?
Desiste; gratius loqueris,
Altius hosque tacendo tolles.

BELLARIA MENTIUM,

Ex Sapidissimis Fructibus Laboris, Scientiæ, ac Virtutis COLLECTA.

I. V. & Adm. Rever. D. CHRISTOPHORO GRVDNIEWICZ,

Canonicorum Regularium SSmi Sepulchri Domini Hierosolymitani Conventûs Miechoviensis Professo Presbytero.

Poma Aurea, de Hesperidum hortis, quæ Herculi Dracone occiso cessêre.

CUM LEMMATE:

Dant rapta Triumphum.

SEdula mens solidusq; labor, quàm munere digna!
GRVDNIEWICZ, documenta, tuæ sunt præmia menti,
Palladius, quæ nectit honos. Non spontè coronæ
Obveniunt. Largus si quam consperserat imber,
Laurea Serta decent frontem. Fons muneris omnis
Est labor, atq; parens decoris. Complexus amore
Hunc tu; promptior ingenio dissolvere visus
Es Sophicos nodos, & bellè Stemma laboris
Corde referre Crucem, Stimulos quæ subdit acutos,
Vt mereare diù multos sudore triumphos.
Aurea poma proin, vigili defensa dracone,

Non, nisi quæ forti poterant contingere dextræ
Herculis ad summos ficti natique labores
Vt justum dicantur ei peperisse triumphum,
Dona Tuis apporto laboribus, & superatos
Gratulor & meritam laurum cum cordis amore
Fraterni. Vireas felix; & robore mentis
Præstando suavem reputes quemcunque laborem
Sub Cruce, Sidereos habiturus mente sapores,
Et fructus auro rutilos ex arbore vitæ.

III. V. D. MICHAELI PRVSKI,

Fructus Cydonij miræ fragrantiæ, qui in meta positi præcurrentibus dabantur.

CUM LEMMATE:

Vividis fragrantia dona.

Dotibus egregijs, bona si cultura dicetur,
Fructus adest pulcher, cordeq; gratus odor.
Hâc demptâ, cuncto spoliantur munere Cœli,
Noxia vel veniunt, proficit atq; malum.
Quid juvat ingenium? nisi cum probitate colatur
Artibus; ast oberit, plura venena dabit.
Consilio meliore viget cum luce serena
Mens PRVSKI, dotes perpoliendo suas.
Fertilis in Laurus meritis, virtute, decoras
Et fructus animi, provocat ars etiam.
Multis hunc ductrix Sapientia visa probare
Et reperit cultum, judicioq; parem.
Hinc caput inclinans Lauro fragrantia prende
Dona libens, veris & mereare bonis.
Vividus ingenio celeres per Olympia cursus
Perfice, fragrabit Nomen odore Tuum,

IV. V. D. MICHAELI PRZYTOLSKI,

Mala Punica vertice coronato nascentia, & ab intra granorum numerosis rubinis pretiosa.

CUM LEMMATE.

Hæc fiunt ô quàm pulchra corona sibi!

QVæ coronatos redeunt per ortus
Poma, cùm signant meruisse tantùm,
Nec coronari meritos honore,
Esse Coronam.
Concinat verum Dea læta Carmen.
Fallitur dicens: sine laude Virtus

Est frequens; gemmas generant nec imbres,
Fronte cadentes.
Præmium, Virtus; meritum caputque,
Est honos semper sibi. Lux in umbra
Promicat. Quare cupiens honorem,
Docte PRZYTOLSKI,
Dona fer gratè hæc, meritisq; semper
Fide; nec tantùm ob radios honoris,
Præmium dandum, sed amore recti
Ferto laborem.
Laureæ nexu sociatus in Te
Tullij flos & Sophiæ nitores
Vive Virtuti, Tibi, si mereris,
Ipse corona.

V. V. D. IOANNI CZARNAWSKI,

Fructus Palmæ Ægyptiæ mirè fœcundæ, Symbolum Indolis ad omnia bona natæ.

CUM LEMMATE:

Copia & gratia, certant.

UT Palma floret, magnificum decus,
Sic fructus ejus gratior obvenit.
Minùs nec ille gratus adsit
Isiacis generatus arvis;
Si non magis, quòd copia nobilis
Augescit altæ munere gratiæ,
Cœli bonumq; se probando
Dulce melos Cytharæ meretur.
Quæ dona cantant Musa, Tibi refert
Colendo pectus dotibus inclitum,
Palmam decoram CZARNIAVI
Te sonat, ut variæ capacem
Perfectionis; nobilis impetus
Flammas habentem, cordeq; plurima
Iam jam minantem seu choros
Pieridum, Ciceronis atque
Placet sales vel reddere flumine,
Aut Stagyræ currere semitâ,
Leges, Sacros seu Codices mens
Volvere clara velit, valebit.
His fructibus Tu gratior in dies
Vt sis: secundis ominibus cape
Palmare munus germinis, quod
Isiacas claruit per oras.

VI. V. D. MATTHÆO KOLĘDOWICZ;

72 *Fructus Palmæ aureus in Delo Insula olim Apollini sacer.*

CUM LEMMATE:

Mente dignissima merces.

AVrea conveniunt Virtuti munera semper,
Doctrinæ, Ingenijs bonis.
Quo vacuus cultu, quamvis splendescat in auro,
Dignus nomine stipitis.
In Te Diva parat dignam Sapientia sedem;
Pulchris cultior artibus
KOLĘDOVI. Nam pandit labor abdita rerum
Ad libros vigili Tibi.
Quantùm proficies studio, cùm sorte beatâ
Tanti muneris es capax?
Mens docilis, penetrans, & clara, profunda, tenaxque,
Prudens est animus simul.
Seu placeat Cicero, gravis aut in Carmine Maro,
Es promptus calamo oreque.
Aurea dona proin poscit sibi mens Tua, namque
In Te fulget ut aurea.
Auro fulgentes igitur pro munere fructus
Grato pectore suscipe.
Insuper ut Virtus in Te sua dona coronet,
Sit digno Tibi par honos.

VII. V. D. VENCESLAO PANISZEWICZ,

Botrus ad Solem excoctus.

CUM LEMMATE:

Benè recreabit Saporem.

MVltis, ut sapiant, sufficit ad jubar
Prospexisse nisi; Phœbus id an sciat?
Grati suntnè saporibus?
Acres sunt nimiùm, vel Sapores polo
Ridendi satius? Quì sapuit botrus,
Solem nec potuit pati?
Sunt spectanda diù lumina, flammaq;
Supportanda, cui fervor, ut evocet
Gustus, orbe, suävior.
Quàm felicior es, Lecte PANISZEVI,
Et dilecte Sacris Numinibus benè,
Verè hæc lumina quòd petis!

Matu-

Maturescere vis? lampada condere
Ignoras. Veterum sidera prospicis,
Solus cùm tenebris micas,
Vt Solem revehas culmen in arduum
Sublimis genij, quem Tibi contulit
Largus munere Iuppiter.
At postquam roseo limine prodijt
In mundi faciem, lustret ut omnia
Sol, Te cernit amantiùs.
Illustrat studium, fingere Te aureos
Mores ad similem vult & imaginem
Sacro in pectore Patrui.
Sudor gemma Tuus fronte cadens, quia
Discentis meliùs Teste sub aureo
Phœbo, Sidere fervido.
Est, est uva meri, pectoris indoles,
Ad Solem studij, quem Tibi gratulor.
Fiat cocta, Sapor bonus.

VIII. V. D. LAVRENTIO PERONSKI,

Fructus de ficu Indiæ dulcissimi, licèt cortice dispari.

CUM LEMMATE:

Latent tenero sub cortice mella.

QVo Te munere competentiore
Dignari valeat, canendo Musa,
Docto tempora porrigens virori
PERONSKI, meliora quando cernit
Grato lumine dona, quæ favente
E cœlo Tibi sunt tributa? fructus
Indorum capit & reponit ultrò,
Mens gustet, meliore melle plenos
Offendet, satiabiturque gustus.
Dotes pectoris in sapore vero
Fient omnibus & Tui. Labores
Tantum, quatenùs Indiana cura
Te non exsuperet sciens fovere hos
Fructus, atque poli vices obire.
Nam quid non valet ars, laborque, mensque
Non oblita sui. Videntur illis
Multò plùs oculis in orbis esse,

Splendoriſque ſuprema vel ſtupores
Rerum. Summa ſtruit faber celebris
Famæ, Nominis. Hunc ſequare fortis.
Illi conſecrat iſta, quæ recingit
Laurus, Te, bone. Dulcis inde vivas.

IX. V. D. PETRO GLINKA,

Mala Punica in veſtibus Summi Sacerdotis, mandato Dei elaborata.

CUM LEMMATE:

Gratior eſt oculis Relligionis honos.

Eſt auro nitido præcipuus valor.
Eſt malis Lybies eximius ſapor
Accedens tamen his Religio Sacra
Multo majus eis conciliat decus.
Sic & non aliter eſt Sapientia
Per ſe pulchra ſatis, tùm venerabilis.
Cui ſi juncta DEI ſit reverentia,
Se tunc major erit. Sic pietas honor!
Hâc Tu ſorte magis GLINKA beatior
Quàm Vatûm numeris, atque Sophûm bonis
Rixis emineas. Iurgia ſpargere
Docta exoſus, adi mente domos poli,
Compoſtique animi ſenſibus, aſt bonis
Præſtans, & meritis æthera mulceas.
Sic cultu Superûm magnus habeberis.
Rem nomenque boni conſocians Viri.
Hoc voto reſonat Pegaſidum Chorus.
Præcingens meritâ tempora Laureâ.

II. V. D. IOSEPHO OBRĘBSKI,

Canonicorum Regularium Sanctiſsimi Sepulchri Domini Hieroſolymitani
Conventus Miechovienſis Profeſſo,
Primæ Laureæ CANDIDATO,
AVTHORI OPERIS,
In vim debitæ gratitudinis,
IOANNES CZARNAWSKI,
Ejusdem Laureæ Candidatus,
offert.

Fructum ex Punicis arboribus aureum Solis colorem referentem.

CUM LEMMATE:

Fulgentior inde.

TV, qui Caſtalidum celebres moderaris habenas,
Ductor venuſti Phœbe decusque Chori.

Hûc

Hùc illas gemino fac, hùc descendere Clivo,
Protinùs ad nutus, accelerare velint.
Dulcia non muto resonent modulamina buxo,
Nobile dum Vates mente revolvit opus.
Tu verò aurea nunc primus Tibi barbita sumens,
Incipe dulcisonis solicitare modis.
Gaudia concinnè pertentent pectora Vatis,
Sic animo promptum consilium veniet.
Qualiter aut quanto valeam celebrare cothurno,
OBRĘBSKI, munus quod mea Musa dabit?
Reddere par paribus dum poscit candor amoris,
Versâ sinceri dona referre vice.
Ille dedit suaves fructus, quos Sydere fausto
Hortus Palladius parturiendo fovet.
Fructus ergo suis sumat pro fructibus ille,
Intima sic mentis consuluêre mihi.
Punica quos gignunt, hi sunt, viridaria plantis,
Aureus hos splendor condecorare solet.
Hæc Tibi conveniunt OBRĘBSKI singula monstrans,
Quæ Solis nitidi signa referre solent.
Clarus ubique nites, quando perplexa resolvis;
Callens magnorum dogmata cuncta Sophûm.
Nestor ades magnus nobis, dum fundis ab ore
Eloquij succos, quos Sacra Pallas amat.
Nunc quoque Laurigeros Phœbi quùm sumis honores,
Indè Tûo Capiti digna Corona venit.
Certus sum Vates, quòd præmia larga parabit
ORDO Tuis meritis; Te ambiet altus honor.
Tantùm Tu fructus celebres nunc spernere noli,
Candida quos tribuit mens animusque Tibi.

E.
K.

76.



Sub Felicibus Auspiciis,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. PETRI PRACZLEWIC,

S. Theol. Doct. & Prof. Collegæ Maioris,
Ecclesiarum Collegiatarũ S. FLORIANI ad Crac.
& Pilecensis DECANI,
PRÆPOSITI Prosovicensis, Scholarum Novoduorscianarum & Contubernij Hierosolymitani
PROVISORIS,
Studij Almæ Universitatis Cracov.
Generalis & Vigilantissimi
RECTORIS.